

atque illud de Vignale, quodcumque voluntas Rectorum ipsarum civitatum, vel eorum missi fuerit &c., quibus auditis, & intellectis istae partes ibi praesentes omnia servare dixerunt, & promiserunt. Interfuerunt testes Guido Mainerus, Guidonus Incessus de Mediolano, Ardizzonus Gambarutus, Ugoccionus de Puteo, Joannes ejus filius, Ruxantus de Ruxantis de Vercellis, Petrus Pocardus, Faba Piceus de Novaria, Fulcus de iniquitate de Placentia, Rainerius Grana, Otto de Carretto, Comes Rainerius de Blandrate, Ferrarius, Rainerius Capitaneus, & Alexius de Valentia, Andreas de Benzo de Aquis, Vermus, Rodolphus, atque Anselmus, qui dicuntur Pastores, & alii.

*Petitiones communis Alexandriae adversus Marchionem Montisferrati circa an. 1199.*

102

M C X C I X.

**R**esponsum de petitionibus, quas facit commune Alexandriae Marchioni de Montisferrato. In primis petit partem, quam habebat in Maxio cum cortili, & omni jurisdictione, quam partem commune Alexandriae quiete tenebat, & quam ipse in tempore hujus guerrae occupavit, & inspiciantur instrumenta de acquisitione consignata per A., & etiam sententia si opus fuerit, quae instrumenta cum sententia sunt quatuor, quae pars est undecim partes de decem octo partibus de toto.

II. Item petit castrum Castelletti, & villam cum omni contili, & jurisdictione, & pertinentiis, & super his inducantur instrumenta signata per B., quae sunt duo.

III. It. petit libras DCCC. Papienses cum omnibus usuris, & expensis a tempore debiti citra, & inspiciantur instrumentum signatum per C., vel restituatur castrum Lugi communi Alexandriae.

IV. Item medietatem castri, & villae S. Salvatoris, & villae, & castri Pomarii, & castri, & villae Vignalis, & jurisdictionem, & honorem ipsorum castrorum, & villarum ex cessione facta, & datione a Marchionibus de Oximiano communi Alexandriae, ut continetur in instrumento signato per D., quod est unum.

V. Item petit emendam damni dati, & facti in villa Uviliacum, quam ipse Marchio invasit, & destruxit contra praecipuum Rectorum, & sine diffidatione eo tempore, quando homines Alexandriae erant in servitio communis Albae voluntate, & praecipuo Rectorum societatis Lombardiae, & Marchiae, & Romagnae permanente pace tunc inter commune Alexandriae, & Marchionem; ita quod commune Alexandriae nihil offenderat Marchionem, & respiciatur instrumentum signatum per E., quod damnum ponit in decem millia marchas argenti.

VI. It. petit quod Dominus Marchio restituat communi Alexandriae castrum, & villam de Rocha, quae dicitur Constantinorum de valle Urbarum.

VII. It. petit quod homines Alexandriae, & districtus possint, & debeant ire cum omnibus mercimoniis suis, & ducere merces suas per villam, & poderium Felizani tam per aquam, quam per terram, sine pedagio, & aliqua dacita, & praestatio-

ne, & quod liceat item hominibus Alexandriae per aliam terram Marchionis ad medium pedagium, & restituatur hominibus Alexandriae illud totum pedagium, quod fuit ablatum hominibus Alexandriae per aliam terram Marchionis, quod pedagium ablatum ponit in libras mille Papiensium, & inspiciatur instrumentum signatum per F.

VIII. It. petit, ut Marchio solvat omnia debita, & guiderdonis, & expensis, quas ipse, & pater ejus, & avus, & proavus tenebatur hominibus, & civibus Alexandriae, & tenetur dare.

IX. Item petit, quod praedictus Marchio restituat Dominis Uberto, & Opizoni filiis quondam D. Nicolai de Foro terram, & castrum cum hominibus, & poderio, & jurisdictione, & contili de Mombersario, sicut D. Wilielmus marchio, ejus quondam pater investiverat, & dederat isti Domino Nicolao; item quod tenebant ab eo in Juglano, ut in instrumento signato per G.

X. Item petit, ut restituatur hominibus Bozonis filii quondam Uberti de Uviliis feudum de Castro, & villa Mombaruzii, & de tota curte, & districtu, & godimento, & honore pertinente ipsi Castro, quod feudum Dominus Willelmus marchio quondam Montisferrati dedit D. Bozoni, ut continetur in instrumento signato per H.

XI. Item petit, quod restituat Galeis de Solerio feudum, quod tenere consueverunt ad Veschobanum, (forte Vesolanum), & ad Ludum, & alibi a Marchione Montisferrati, & qualiter restituat omnibus civibus, & hominibus Alexandriae omnia feuda, quae ipsi cives, & homines Alexandriae tenere consueverunt a Marchione Montisferrati.

XII. Item petit emendam damni dati, & facti ante guerram inceptam, & priusquam Marchio juravit praecipuum Rectorum ad Conzaanum, & in villa, & rebus Minorum Conzaani, & emendam dampni dati ad Belmontem, & ad Calamandranam, & ad Garbazolam, & ad Lanerium, & in villis, & rebus hominum istorum locorum eo tempore, quando Dominus Boccacius potestas Alexandriae cum militibus, & peditibus Alexandrinis erat in servitio Albeni praecipuo, & voluntate Rectorum, quod damnum datum fuit contra praecipuum Rectorum, permanente pace inter commune Alexandriae, & Marchionem, quam mendam ponit in quinque millibus marcharum argenti.

*Petitiones Bonifacii marchionis adversus Alexandrinos in praevio pacis tractatu circa annum 1199.*

M C X C I X.

103

**I**n nomine Domini. Amen. Ista sunt petitiones, quas facit D. B. marchio Montisferrati coram rectoribus societatis Lombardiae, Marchiae, & Romagnae de commune Alexandriae, & de hominibus ejusdem civitatis.

In primis petit, ut homines Alexandriae per ipsum D. Marchionem sese distinguant in omnibus & per omnia tamquam per Dominum suum, quia omnis honor, & jurisdictione illius civitatis, seu universitatis ad praedictum Marchionem cum omni